

Antiquitus propriis subiecta Regibus fuit. Metellus , qu¹⁵⁷⁵ inde Cretici cognomen traxit , primus Romanis subegit . In unius dominatum lapsa republica , ac diviso demum inter Græcos ac Latinos Imperio , Græcis Cæsaribus obtigit . Anno vero M. CC. IIII. sociis Gallorum ac Venetorum armis , Alexioque , qui ab Isaacio patruo pulsus fuerat , in regnum restituto , ac mox Murzuflo tyranno interempto , Byzantium captum , Balduino , Flandriæ Comite , Imperatore creato , quadripartito divisum Imperium ; pars Cæsari ; pars Gallis ; pars Venetis cessit . Quarta rursus inter Gallos ac Venetos tributa . Inde Venetiarum Princeps , ut decretis atque aliis publicis documentis constat , Dominus quartæ partis cum dimidio totius Imperii Romanæ appellatus . Bonifacius vero , Montisferrati Marchio , cui Creta obvenerat , eam Venetis quadrungentarum argenti marcharum pretio vendidit ; atque inde Veneto imperio accessit ; quam ut firmius tuerentur , a priscis , Romanisque in primis petito exemplo , nobilium , ac civium Venetorum coloniam miserunt , quæ iisdem legibus atque institutis formata simulachrum Venetæ Reipublicæ referret .

Ad illam tunc insulam cum summo imperio regendam , ut diximus , Jacobus Fuscarenus se contulit ; nutantia jura firmiter ; labentem justitiam erexit ; militarem disciplinam restituit ; novas arces excitavit ; temporis vetustate ac negligentia collapsam Equitum disciplinam instauravit . Nam Veneti initio in trecentos ac nonaginta quatuor (quos vocabant) *equitatus* , insulam partiti fuerant , in quibus tres equi censebantur , bini ad bellum apti , tertius ad sarcinas convectandas aliaque minoris momenti munera obeunda idoneus ; qui universam ^{1182.} summam conficerent . Temporis vero diuturnitate prolapsis rebus , ex securitate negligentia , ex negligentia legum atque institutorum contemptu exerto , præcipuum illud præsidium vel convulsum , vel imminutum fuerat , quod , ut ad pristinum nitorem perduceret , censem equitum habere , præmiis propositis , nobiles viros ad equitandi peritiam obeundaque militaria munera illicere Fuscarenus statuit , nihil æque ad generosos animos permovendos , quam virtutis laudem posse ratus . Peregrino quoque milite in singulis urbibus atque oppidis dispergitto , regnum firmavit , numero ad quatuor mille ac sexcentos , Senatu jubente , redacto ,

*Creta
quomodo in
Venetorum
potestatem
pervenerit .*

*Jacobi Fu-
scareni in
Creta ren-
gno leges .*